





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,  
DE  
**PROCIDENTIA  
VTERI,**

QVAM  
CONSENSV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS,  
SVB PRÆSIDIO  
DN. D. ANDREAE ELIAE  
BÜCHNERI,

SAC. CÆS. MAJEST. CONSILIAR. ARCHIAT. ET COMIT. PALAT. S. R. I. NOBILIS,  
ACAD. IMPERIAL. NAT. CVRIOSOR. PRÆSID. CHTM. PROF. PVBL. ET FACVLT.  
MED. ADSESS. ORDINAR. NEC NON REG. BEROLIN. SOCIET.  
SCIENT. SODALIS,

PATRONI ET PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,  
PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS  
ET IMMVNITATIBVS

LEGITIME IMPETRANDIS,  
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SVBMITTIT

JOH. CHRISTOPH. STVRMIVS,  
NORIMBERGENSIS.

HORIS CONSVETIS IN AVDITORIO MAJORI  
COLLEGII MAJORIS  
DIE IV. APRILIS, M DCC XLIV.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.



DE  
PROGREDIENSIA  
VETERI  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
D. D. ANDREAE FLAAR  
BUCHNERI  
PRO GRADU DOCTORIS  
JOH. CHRISTOPH. STURMIVS  
COLLEGIUM MEDICORUM  
HONORABILIS







DISSERTATIONIS INAUGVRALIS MEDICÆ  
DE  
PROCIDENTIA UTERI,

PROOEMIUM.



**S**I unquam viscus aliquod humani corporis, in sexu præcipue sequiori, peculiarem meretur considerationem, tam intuitu structuræ suæ & ordinariæ constitutionis naturalis, quam respectu functionum variarum eidem competentium & abinde dependentium, *Uterus* sane muliebris est. In virginibus enim ad pubertatis terminum accedentibus, singulis lunaribus mensibus, per dies aliquot modo ex fundo, modo etiam, & quidem cre-



brius, ex vagina, sanguinis abundantis & quantitate sua molesti portionem, tanquam speciale quoddam tributum, cum insigni fanitatis emolumento, porrigere & fundere incipit. In ipso dein actu fœcundationis à rigido viri membro ejaculatum feminalem humorem avide non solum arripit, sed & elasticam ac subtiliorem spirituosam ejus partem per tubarum Fallopiarum alterutram ad ovarium transmittit, ut hujus ope ovulum quoddam fœcundatum & sub inturgescentia quadam hinc excitata à petiolo suo liberatum, ab extremis hujus tubæ fibrillis musculosis, ovarii ostiolum amplectentibus, excipiat & in uteri cavitate deferatur. Durante dein formationis & augmentationis actu, embryonem tenellum, duplici membrana inclusum & amnii aquis immersum, per novimestre spatium fovens, ea proportione, cum substantiæ suæ incremento successive expanditur, qua fœtus ipse mediante nutritiis à matre supeditatis humoribus augetur. Accedente tandem partus tempore, exitumque nunc moliente fœtu, partim propria sua energia, seu

con-



contractione, partim diaphragmatis & musculorum abdominis pressione, egressum ejus ex angustis hinc cancellis, & ingressum in hoc mundi theatrum promovet atque facili-  
tat, eoque ipso ultimam quasi functionem suam absolvit.

Quemadmodum autem in naturali statu quoad propagationem generis humani & san-  
nitatis foemellarum conservationem tot tan-  
tisque officiis vacare solet uterus; ita & in  
praternaturali, seu morbofo statu variis pari-  
ter, sæpiusque admodum fonticis adfligitur  
malis, quæ non tantum pharmaceutica reme-  
dia, sed etiam chirurgica præsidia & auxilia  
plerumque postulant. Sic enim Chirurgo in-  
cumbit, ut prospiciat utero, quoties exulce-  
rari, lacerari & vulnerari eundem contingit.  
Chirurgo etiam competit, ut non solum in  
foeminis imperforatis praternaturale conce-  
ptionis & exclusionis foetus obstaculum re-  
moveat, sed & gravidarum, modo adhuc vi-  
ventium, modo mortuarum, uterum, aut  
etiam tubarum alterutram, aperiat, foetumque  
vel mortuum, vel vivum ibidem detentum,



si impedita fuerit ejus per viam ordinariam exclusio, eximat & removeat. Chirurghi denique officium est, ut nunc vaginam, nunc uterum ipsum, quando naturalem & ordinarium suum situm mutarunt, atque extra corpus prominent, iterum tempestive, si circumstantiarum ratio id permiserit, pristinum in locum reponat, & quousque possibile fuerit, in eo reposita conservet. Hoc ergo cum satis frequenter necessitas postulet, & absque provida tam dijudicatione, quam manuali operatione nequaquam feliciter cedat, stimulum mihi præbuit, ut de affectu hoc, levioribus quoque ex causis interdum eveniente, PROCIDENTIA nimirum VTERI, tam *late*, quam *stricte* sumpta, speciminis inauguralis loco speciatim nunc agere decreverim. Ut igitur conatus hi cedant in Divini Numinis gloriam, & misere adflictarum solatium, ardentissimis precibus contendo atque efflagito.

§. I.

**P**Ræsens hic noster affectus, cujus specialiozem nunc susceptri sumus considerationem, cum morbis malæ conformationis adnumeretur, ordinarie hinc definiri solet, quod sit *mutatus Uteri situs*, deorsum  
*præ-*



*præternaturaliter factus, modo major, extra genitalia nempe, modo minor, intra vaginam tantum contingens, & à relaxatione, aut plenaria ruptura ligamentorum, partem hanc aliàs obfirmantium, eveniens.*

## §. II.

Facile ergo ex hac definitione nunc liquet, quod non omnis mutatio situs intuitu uteri facta, statim *Procidentiam* ejusdem denotet, sed illa tantum, quæ vere *præternaturalis* est: Evenit enim in omnibus gravidis, præcipue ultimis & proximis ante partum temporibus, quin & in ipso partu, ut tam ob molem grandiozem foetus, quam pro facilitanda ejus exclusione, Uterus deorsum magis extendatur, ejusque orificium proximum ad vaginam accedat, quem statum proprie *descensum Uteri*, & quidem *naturalem*, vocamus, atque hac ratione facile à *procidentia* distinguere possumus, inprimis quoniam mox post partum vel sua sponte cessat, dum elasticæ uteri fibræ, à mole foetus & secundinarum liberatæ, iterum se se contrahunt, vel etiam obstetrices caute & prudenter manibus illum sursum adigunt, & puerperis injungunt, ut per aliquot dies cruribus nonnihil elevatis & contractis decumbant & in quiete se contineant.

## §. III.

Ipsa autem proprie sic dicta *Procidentia Uteri* in genere probe discernenda est à *vagina prolapsu*, qui, licet non admodum infrequenter ipsius quoque Uteri *procidentiam* conjunctam habeat, tamen etiam quandoque *solitarie* occurrit & perquam facile tunc ab imprudentioribus cum hoc nostro adfectu confunditur, quan-



✓  
 quanquam de reliquo satis manifeste ab eo se distinguat, dum ordinarie tumorem minorem, mollem, instar intestini globosi, constituit, simulque interna sui parte sacco refert. Sic etiam varii generis sarcomata, seu excrescentiæ diversæ substantiæ & magnitudinis, quæ vel ex vagina, vel ex ipso Utero prognatæ sunt, procidentias harum partium interdum mentiantur, & tam obstetricibus, quam Chirurgis incautis facile imponunt, à peritioribus autem statim cognoscuntur & hinc *spuriarum* tantum *procidentiarum* titulo insigniuntur.

§. IV.

Habet proinde vera talis Procidentia suos quoque gradus, atque horum pariter ac aliarum quarundam circumstantiarum intuitu diversimode variare solet. Sic enim alia est *perfecta*, ubi uterus extra genitalia prominet; alia vero *imperfecta*, quando idem ille satis quidem notabiliter è naturali sua sede descendit, ultra tamen pudendorum labia non progreditur, sed in anteriori vaginæ regione adhuc subsistit. Similiter quoque alia est *totalis*, ubi tota fere uteri substantia, interdum etiam cum portione quadam vesicæ annexæ, prolabitur, qualem inprimis RYVSCHIVS *Observat. anatom. chirurg. l. p. 1.* describit; alia vero *particularis*, ubi hujus visceris portio tantum aliqua, major aut minor, è sede sua dimota, in conspectum prodit. Porro etiam Procidentia alia est simplex, ubi uterus naturaliter adhuc est constitutus; alia *composita*, ubi depravatus & vitiatus ille est, scirrhusus nempe, aut sarcomatibus, vel excrescentiis polyposis deturpatus, vel



vel etiam plane ulcerosus. Tandem quoque non solum *in. & extra statum ingravidationis* occurrit, sed & modo *sine inversione*, modo etiam *cum illa conjuncta* notatur, dum nimirum superficies ejus interna per orificium ipsum transit, & extra hoc atque pudendorum labia prominet, id quod inprimis sub partu, vel post illum frequentius, quam quidem alio tempore, contingere potest.

§. V.

*Generale* hujus affectus *subjectum* solitarie constituere *feminas*, per se facile patet, quoniam sexus hic unice utero instructus est, pro formatione, nutritione & augmentatione foetus, usque ad debitum & legitimum partus terminum. Facilius autem & frequentius eidem expositæ sunt parturientes & puerperæ, ita tamen, ut & reliquæ non prorsus immunes ab eo maneant, siquidem experientia abunde testatur, quod & aliæ, conjugatæ pariter, ac viduæ, juvenes & annosæ, immo & ipsæ virgines, à causis tam internis, quam externis, eidem quandoque subiciantur.

§. VI.

Pari quoque ratione ex ipsa affectus hujus denominatione liquido jam constat, quod *speciale* ejus *subjectum* constituat *Uterus*, unacum ligamenti suis, cujus idcirco constitutionem anatomico-physiologicam, pro meliori causarum atque symptomatum cognitione, paucis nunc exponere & præmittere lubet. Est autem *Uterus pars organica corporis muliebris, membranoso-spongioso-fibrosa, ad pyriformem accedens figuram, in*

B

regio-



regione pelvis, vesicam inter  $\mathcal{E}$  rectum intestinum sita, tum pro semine virili ipsoque ovulo recipiendo, tum pro foetu exinde formato postmodum fovendo, nutriendo  $\mathcal{E}$  debito tempore excludendo, destinata. Conneſtitur hoc viscus cum partibus vicinis beneficio membranarum, ligamentorum, vasorum atque etiam nervorum, & quidem cum vesica urinaria in antica, & cum intestino recto itemque nonnihil cum osse sacro & ischio in postica colli sui parte; ratione fundi autem cum ossibus pubis & illi aliisque adjacentibus partibus, per ligamenta lata & rotunda, conjungitur, unde mirus ejus consensus cum his & reliquis visceribus dependet.

§. VII.

Dividitur à recentioribus Anatomicis in duas tantum partes, (licet plures illarum constituerint antiquiores,) *fundum* nempe & *cervicem*, cujus pars simul est internum uteri orificium. *Fundus* est præcipua moles & suprema hujus visceris pars, simulque nobilissima, propter quam reliquæ constructæ sunt, crassior & durior in non gravidis, quæ in illa regione, ubi ex latiore ambitu sensim angustior evadit, *cervicem* constituit, quam cum *vagina uteri* quandoque confundunt Auctores, cum hujus nomine proprie ea intelligatur pars, quæ ab orificio interno duorum vel trium digitorum longitudine interius exporrigitur, donec amplificari incipit uterus. Nullis interne gaudet hæc pars cellulis, quales in uteris animalium brutorum occurrunt, sed non nisi unicam habet cavitatem, eamque admodum exiguam, ut in virginibus & non gravidis fabam majusculam, aut amygdalam minusc-



musculam,† eam forte ob causam, ut in coitu à sub-  
 liore & elastica feminis virilis parte tota repleri pos-  
 sit. Postquam vero concepit mulier, unacum foetu  
 & uterus crescit ejusque cavitas ampliatur.

† vix capiat

§. VIII.

*Magnitudo* uteri variat pro subjecti atate, tempe-  
 ramento, libidinis usu, corporis proceritate, subje-  
 ctorumque foecunditate, aut sterilitate, ita ut exacte  
 nunquam definiri possit. Major inprimis est in iis,  
 quæ Veneri strenue litare solent, aut sæpius pepere-  
 runt, ubi nunquam ad priores redigitur limites. In  
 maximam tandem molem excrefcit in gravidis, ubi  
 pro diversa foetuum magnitudine varioque numero in  
 omnem dimensionem, stupendo sæpe modo, auge-  
 tur, quoniam robur & crassities ejus semper propor-  
 tionata debet esse magnitudini incolæ. Post partum  
 vero uno quasi momento eximie collabitur & subsi-  
 det, donec successive, intra plures paucioresve dies,  
 ad pristinos fere limites redeat. In vetulis tandem  
 tam mole, quam vigore, decrefcit, magis magisque  
 quasi exsiccat, retractusque durior, minor & palli-  
 dior evadit.

§. IX.

*Substantiam* uteri adeo obscuram quidem esse fa-  
 tetur oculatissimus alias MALPIGHIUS, ut pene im-  
 possibilem sui judicet resolutionem; nihilo tamen mi-  
 nus Anatomix scriptores eandem distinctius, licet di-  
 versò modo, nobis declarant, dum alii fibroso-muscu-  
 losam, alii membranoso-carnosam, aut spongiosam,  
 alii carnosò-nerveam, alii denique ex meris membra-



nis, sibi invicem intertextis, compositam illam esse adstruunt, quos inter tamen inprimis VESLINGII & DIEMERBROECKII sententia nobis arridet, qui non nisi duas proprie membranas eidem tribuunt, & intermedium contextum carnosum. Prior harum, quæ *exterior communis* dicitur, Peritonæo, sicuti omnia abdominis viscera, originem suam debet, crassior tamen est omnibus aliis inde provenientius, admodum valida, fibrosa, lubrica, & valde rugosa, innumerisque plicis donata, ut cum propria uteri imprægnati substantia, sine ullo ruptionis periculo facile dilatari possit. Altera interior, à multis *propria uteri*, aut *nervosa*, à VESLINGIO autem *porosa* adpellata, quia innumera exhibet foraminula, ceu vasorum oscula, tenuis magis & in fundo lævis est, ut blande foveat & moliter amplexetur ovulum, in cervice autem quam maxime rugosa & fibrosa deprehenditur. Communicat hæc cum interioribus tunicis vaginæ & tubarum, simulque uteri parietes interiores efformat, nec non stabiliendis mediæ substantiæ fibris & sensationi procurandæ inservire videtur. Tandem duas hæc membranas intercedit *media* sic dicta, crassa, veluti spongiosa & fungosa *substantia*, variis fibris interpositis stipata, hincque à multis *musculosa*, ab aliis *contextus carnosus* vocata, quas eum in finem habet, ut majus nanciscatur robur, atque se se contrahere, & tempore partus foetum aliaque expellere valeat, quemadmodum spongiosam ideo obtinuit substantiam, ut ad instar spongiæ magnam sanguinis copiam imbibere, sicque eximiam in molem extendi possit.

§. X.



§. X.

Ne vero tam facile è sede sua dimoveri queat utilissimum hocce viscus, peculiaribus undique simul obfirmatum illud est *ligamentis*, quorum quatuor, consentiente avtopsia, ab anatomicis enumerantur, duo nempe superiora, & totidem inferiora. Illa ordinarie *lata* vocantur, & nil aliud sunt, quam expansiones membranaceæ, laxæ & molles, fibris tamen carneis satis robustis intertextæ, quas ARETÆVS, ob figuræ similitudinem, vesperilionum alis adsimilat. Oriuntur imprimis ex superna parte uteri, eo in loco, quo ovaria muliebria & tubæ Fallopianæ illi adnascuntur, & quidem à peritonæo illic reduplicato, uterumque mesenterio, ossibus illi & pubis, aliisque vicinis partibus adnectunt, imò etiam dicta ovaria tubasque sibi invicem adligant. Inferiora autem ligamenta, alias *rotunda*, aut *teretia* dicta, longitudine plus minus spithamam æquant, & figura sua lumbricos aliquo modo referunt. Originem hæc ordinarie ducunt à lateribus fundi uterini, ea in regione, ubi tubæ Fallopianæ in ejus substantiam transeunt, ibique semper latiora, sub ulteriori vero progressu angustiora deprehenduntur, atque ubi peritonæum & musculos abdominis perforarunt, oblique ad inguina descendunt, & postea sparsis per eorum pinguedinem compluribus filamentis, in formam pedis anserini se se expandentibus, prope clitoridem evanescunt.

§. XI.

*Vasa* porro *sanguifera* deprehenduntur in utero numerosissima, quæ ductu admodum flexuoso & qua-



si serpentino per ejus substantiam feruntur, atque capreolorum vitium instar inflexa & intorta, sibique invicem ita implicita & intertexta sunt, ut, nisi flatu, aut liquore colorato repleantur, vix unquam sufficienter à se invicem distingui queant. Usus generalem illa eundem habent, quem in aliis corporis partibus præstant, dum nimirum arteriæ sanguinem pro nutritione tam ipsius uteri, quam foetus, tempore impregnationis in eo contenti, advehunt, & venæ dein eundem à nutritione residuum revehant; unde in prægnantibus statim à conceptionis tempore non tantum in longitudinem extenduntur, sed etiam ob majorem sanguinis adfluxum continuo ampliantur & dilatantur, ut ultimo tandem gestationis tempore duplo, triplo, imo quadruplo majora adpareant, & tota quanta varicosa reddantur. Reliqua ad uterum adhuc spectantia, imprimis autem partes fundo ejus adnexas, tubas nimirum Fallopianas & ovaria, sive testes muliebres, consulto hic omittimus, cum ad ipsam ejus substantiam non pertineant, adeoque nunc ad ulteriorem adfectus nostri considerationem progrediendum erit.

§. XII.

*Signa* igitur Procidentię uteri quod attinet, illa quidem ex relatione ægrotantium, aut sibi familiarium, vel etiam obstetricum, aliquo modo patefcere possunt Medico, non tamen sufficienter, cum plerumque tantum certiore eundem reddant de præsentia tumoris, modo majoris, modo minoris, intra vaginam uteri latantis, vel extra eandem occurrentis,



tis, aliqualem insimul dolorem & ponderis sensum inferentis, quæ singula nondum debite manifestant, an vaginæ tantum, an vero ipsius uteri prolapsus adsit, & an verus, aut spurius, absque inversione, vel cum eadem conjunctus ille sit. Hinc, nisi prudentes obstetrices, aut Chirurghi periti omnia exacte satis describere & enunciare valeant, ipsius Medici exploratio per visum atque tactum absolute necessaria est. Cognoscitur autem simplex uteri procidentia ex tumore carnosio, paulo duriore, figuram hujus visceris quadratenus referente, in cujus extremitate ipsum ejus orificium plerumque conspiciendum est. Quo magis recens, vel non admodum magna est talis procidentia, eo magis etiam mobilis est tumor iste, ut in decumbentibus, elevatis præcipue cruribus, vel sua sponte sursum cedat, vel facili etiam negotio reponi queat. Si complicata fuerit ejusmodi procidentia, ut cum utero insimul vagina ejus prodeat, tunc ille intra hanc tanquam nucleus in cortice rugoso latitat. Si in partu, aut mox post eundem contingat talis procidentia, cum inversione uteri, tunc tumor est quodammodo inæqualis, seu rugosus, saccumque cruentum & sanguinem plorantem communiter refert, absque ullo orificii vestigio. Si denique fungosæ aut aliæ excrescentiæ, in utero, aut vagina radicatæ, conjunctæ fuerint, vel ipse uterus scirrhusus, inflammatus aut exulceratus simul sit, tunc etiam Chirurghi, qui sufficientem figuræ ac texturæ uteri cognitionem anatomicam habent, facile hæc omnia dignoscere valebunt,

ut



ut hinc differentiarum istarum signa merito omittere queamus,

§. XIII.

*Symptomata* consueta, talem procidentiam comitantia, consistunt in tensione extraordinaria circa genitalia, sensu ponderis deorsum vergentis, majori vel minori molestia inter ambulandum, doloribus tensivis, circa lumbos, femora, regionem hypogastricam ac pubis se se exferentibus, modo levioribus, modo gravioribus, difficultate mingendi alvumque deponendi, ob nimiam compressionem tam vesicæ, quam intestini recti. Proinde etiam, licet supino sub situ facile retrocedere soleat prolapsum hoc viscus, tamen maritis conjugale debitum præstantibus, non solum aliquali impedimento est, sed etiam afflictæ foemellæ majores inde molestias sentiunt, quale quid sub procidentia solius vaginæ non æque observatur, cujus insuper diagnosin jam superius §. III. monstravimus.

§. XIV.

Cum ex iis, quæ de connexionione uteri cum aliis vicinis partibus ejusque obfirmatione jam jam §. VI. & IX. adduximus, sufficienter pateat, eundem quoad fundum equidem, seu supremam suam regionem, undique liberum esse, ut tempore ingravidationis commode tunc extendi & dilatari queat, latera autem & cervicem ipsius ope ligamentorum & membranarum in toto suo ambitu satis firmiter alligata esse; hinc facile liquet, quod non nisi laxatis, aut etiam solutis hisce ligamentis, proprio pondere delabi queat uterus, adeoque *proxima*, seu *immediata* hujus adfectus *causa* in præ-



præternaturali tam ipsius substantiæ uteri, quam dictorum ligamentorum & membranarum *laxitate*, aut plenaria *ruptura* consistat, quarum illa frequentius, hæc vero paulo rarius contingere solet. Laxitatem enim majorem totius uteri, quoad substantiam suam, deprehendimus post partum, quoniam fibræ ejusdem durante ingravidatione, à mole fœtus & secundinarum nimium quantum distentæ fuerunt, adeoque accedente qualicunque violentia paulo fortiori, tam interna, quam externa, scilicet nisu vehementi expulsivo, tractione rudiori funiculi umbilicalis, ad promovendam placentiæ uterinæ separationem, aliisque modis, facile fundus ejus ita debilitatus inverti, & per orificium non minus quoque laxum & hians, transire potest, quale quid itidem, licet rarius, contingit, si fibræ membranæ internæ uteri, (§. IX.) ab excrescentiis in fundo ejusdem enatis, ac exinde propendentibus, concurrente simul uberiori serosorum humorum adfluxu, relaxantur & deorsum tenduntur, ut ita fundus pariter dein per orificium relaxatum transeat, sicque etiam extra partum inversionem uteri producat. Quod autem facilius adhuc contingere queat ligamentorum & membranarum, uterum retinentium, laxitas, ex minore partium harum robore abunde patet, unde etiam est, quod uteri procidentia absque inversione paulo frequentius evenire queat, quam illa, quæ cum inversione est conjuncta.

## §. XV.

*Ruptura* plenaria modo dictorum ligamentorum, cum majorem semper violentiæ gradum præsupponat,

C



nat, itidem rarius accidit, quam illorum relaxatio, & prout illa in diversis uteri regionibus inducitur, ita etiam diversus procidentiae status inde emergit: Si enim tantum in loco aliquo prope fundum uteri fiat solutio nexus istius fibrosi, tunc etiam solummodo viscus hoc in sinum muliebrem descendit, & cum parte aliqua cervicis inversa ibi subsistit; si vero undique & in toto ambitu à vicinis partibus cervix uteri liberatur, tunc uterus unacum cervice inversa extra corpus prolabitur, & quidem ea forma, quam habet, dum in abdomine aliàs adhuc suspensus hæret. Signa autem diagnostica utriusque hujus causæ in eo potissimum consistunt, quod, si à laxitate ligamentorum dependeat procidentia, tunc sensim illa eveniat & paucioribus doloribus stipata sit; si vero ruptura ligamentorum in causa fuerit, tunc subito illa oboritur, dolor sit vehementior, & aliqualis interdum hæmorrhagia concurrat.

§. XVI.

Quoad *mediatas causas* per se nunc omnino patet, quod illarum sub titulo comprehendi debeant omnes illæ, quæ in utero ejusque ligamentis, tam conjunctim, quam seorsim, prædictam illam laxitatem aut rupturam inducere possunt, adeoque ex *præternaturalium* ordine huc inprimis referri merentur constitutio corporis cachectica, Hydrops ascites, fluor albus, ulcera chronica uteri, itemque mensium & lochiorum fluxus immodicus & simul diuturnior, concurrente simul dyscrasia sanguinis serosa; status porro tympaniticus, nifus vehemens, & gravior viscerum abdominis



nīs depressio, ac peritonæi & superjacentium musculorum tensio, tam sub egestione scybalorum induratorum, quam in partu difficiliori; excrescentiæ superius indicatæ grandiores, in cavitate uteri prognatæ, huncque pariter, ac ejus ligamenta proprio suo pondere valide tendentes; tussis impetuosior, sternutationes ac vomitus, tandemque aliquando calculus vesicæ grandior, partim continuo stimulo ad reddendam urinam, partim etiam pondere suo uteri prolapsum, sub aliis simul concurrentibus circumstantiis, facilitans.

§. XVII.

Ex ordine *naturalium rerum* inprimis huc referri meretur temperamentum phlegmaticum, ob nimiam humorum seroso-mucidorum abundantiam fibras omnium solidarum partium ad extraordinariam relaxationem disponens, itemque habitus corporis tenerior, similem quoque texturam ligamentorum indicans, quæ dum jam jam sub ingravidatione à mole fœtus majoris & copia liquoris amnii admodum tensa & relaxata sunt, tanto facilius postmodum, sub laboribus partus qualitercunque difficilis, ad rupturam disponuntur.

§. XVIII.

Tandem ex *non-naturalium rerum* classe plurimum ad inducendum hunc affectum confert motus corporis incongruus, præcipuè durante ingravidatione, vel etiam brevi post partum susceptus, in specie ascensio scalarum, divaricatio crurum, elevatio ponderum graviorum, saltus ex uno loco in alium, maxime autem ex altiori rectis pedibus factus, nec non lapsus è



tali loco in abdomen, hujusque læsio. Sicuti enim singulæ hæc motuum species, etiam extra statum graviditatis & puerperii, in fœminis præcipue tenerioribus, uteri procidentiam facillime excitare possunt, ut etiam ipsæ virgines quandoque ex tali causa eandem incurrant; ita tanto magis gravidis & puerperis noxiæ evadunt. Remote dein ex hisce rebus quoque contribuunt aër frigidus-humidus, diutius ad partes genitales infimumque ventrem admissus, elaterem ligamentorum uteri debilitando & transpirationem ferri superflui supprimendo; cibi itidem lenti atque viscosi, nec non potus copiosior, inprimis aquosus, somnus nimius, & excernendorum necessariorum retentio, speciatim mensium, lochiorum & fluoris albi intempestiva suppressio, quæ omnia, unacum abusu balnearum & unguentorum emollientium, ultimis gestationis mensibus adhibitorum, dispositionem qualemcunque jam præsentem ad talem uteri procidentiam, tanto facilius in actum deducere valent.

§. XIX.

*Circa Prognosin* hujus adfectus notandum inprimis est, quod, si recens, nec admodum gravis ille fuerit, ut intra vaginam adhuc delitescat uterus, facilem certamque omnino admittat curationem. Non minus etiam in junioribus facilius curatur, quam in iis, quæ ad senilem jam jam vergunt ætatem, quoniam tunc, licet etiam debite reponatur, levi tamen de causa plerumque iterum descendit uterus. Proinde etiam per se raro lethale est hoc malum, sed tantum admodum molestum, dum liberam partim deambulationem, partim  
etiam



etiam conceptionem & legitimum mensium successum maxime impedit. Si vero graviores & continui dolores, convulsiones, inflammationes, febres, aliaque gravia symptomata accedant, tunc etiam lethalem utique eventum sortiri potest, nisi tempestive hæc omnia mitigentur. Admodum autem difficilis curationis est illa uteri procidentia, quæ violentam aliquam agnoscit causam, rupturam nempe, vel erosionem ligamentorum, quoniam illa, si aliquo saltem modo inveteratum fuerit malum, nullam consolidationem admittit; cum è contrario, si relaxatio tantum harum partium in culpa fuerit, certiore, cæteris paribus, promittere liceat medelam. Tandem etiam quandoque uterus, nisi tempestiva ejus suscipiatur repositio, ab ambiente aëre frigidiori, aut instituta quoque imprudentiori repulsione, facile gangræna & sphacelo adficitur, id quod si accidat, tanto magis periculum auget, & tristissimum plerumque minatur eventum, nisi forsitan dubiam illam & satis itidem fonticam operationem, *uteri* nempe *extirpationem*, suadere & suscipere quispiam velit, quam tamen nunquam impune administrari posse, cum Celeberr. Dn. D. PAVLI in Programmate, *Diss. de morbis placentæ uterinæ* adnexo, omnino credimus.

§. XX.

Consideratis & traditis ita omnibus iis, quæ ad theoriam hujus nostri adfectus spectant, subnectenda nunc quoque est ejusdem *Therapia*, quam duplici inprimis indicationi superstruere solent antiquiores æque, ac recentiores Practici, nimirum ut I.) *Uterus è sede sua prolapsus provide in eandem reponatur*, hocque facto II.)



*inposterum quoque ibidem detineatur & obfirmetur.* Quoad primam indicationem per se jam facile liquet, quod ejusdem tunc maxime habenda sit ratio, si prociencia ipsa recens, & uterus legitime ac naturaliter adhuc constitutus fuerit; aliàs enim si ad qualemcunque corruptionem jamjam inclinaverit, hæc non solum post repositionem augeri, sed & aliis adjacentibus partibus majori cum periculo vitæ communicari potest. Instituitur autem hæc operatio tali modo, ut præmissò Clystere, & exonerata prius vesica, ægra supina in lecto collocetur, & coxis elevatis ac poplitibus reflexis, capiteque, quantum fieri potest, demisso, vel ipsa basin tumoris manibus adprehendat, eumque introrsum adigat, vel Chirurgus aut obstetrix digitum in ejus orificium immitrat, utrumque sensim attollat, vitando omnem violentiam, ne vel utero, vel vaginæ, vel pudendis tumor aut inflammatio concitetur. Si manus repositioni in locum altum non suffecerint, tunc bacillo quodam, cujus extremitati lana mollior, tenui linteo involuta, circumposita, & prius oleo flor. Hyper. & Lil. alb. probe madefacta est, eandem tentare licet, cavendo tamen pariter à violentia qualicunque.

§. XXI.

Quodsi vero ob defectum tempestivi auxilii, sub liberiori aëris externi accessu, nimium tumidus redditus fuerit uterus, tunc fovendus prius est Decocto herbar. Malvæ, Althææ, flor. Chamom. Semin. Fœnugr. Lini, bacc. Lauri, cum lacte parato, & simul inungendus oleo Lilior. alb. ac pinguedine gallinæ. Si inflammatio jam præsto fuerit, discussio ejus prius tenenda



tanda est mediantibus fomentationibus, ex discutientibus speciebus cum vino paratis. Ubi tandem major fuerit procidentia, ante repositionem inspergendi sunt pulveres subtilissimi tonici & glutinantes, ex Thure, Mastich. Sarcocoll. Mumia, Flor. Balauft. & Sangu. Dracon. compositi.

§. XXII.

Obtento sic scopo primario, ad alteram *progredien-*  
*dum est indicationem*, ad quam debite dein impetrandam primo ægra in lecto reclinetur, cruribus extensis, ut unum alteri incumbat, & in tali situ per plures dies quietè se contineat, prospiciendo insimul, ne alvus vel fegnior, vel laxior evadat. Durante autem isto tempore fodus roborantes & leniter adstringentes, ex rad. Torment. Bitort. Symph. maj. Plantag. Zedoar. fol. Quercus, Myrti, Pini, Cupressi, Lauri, herb. Polygon. Herniar. Verben. Millefol. Beton. Matricar. flor. Balauft. Cortic. Granator. cupulis Gland. nucibus Cupressi, &c. cum vino vel cerevisia parandi, regioni pubis, hypogastricæ & inguinali frequentius adplicentur, immo & linteamina mollia contorta, eodem decocto imbuta, blande in vaginam uteri intrudantur. Iisdem quoque, nec non lumborum regioni, imponi possunt Emplastr. ad prolapsum uteri Londinense, contra rupturam Augustan. de Tacamahac. aliaque roborantia, interponendo simul suffitus ex pelle anguillæ, sale condita fumoque indurata, vel ex Gum. Junip. Olib. Mast. Succino, flor. Lavend. & Hyper. Proinde etiam conjungenda sunt, pro circumstantiarum diversitate, convenientia remedia interna, veluti blanda diaphoretica, balsamica, uterina.



uterina, carminativa, tonica & traymatica, tam ad in-  
temperiem humorum corrigendam, quam partes ni-  
mium debilitatas suoque tono destitutas, roborandas,  
quorum specialiozem enumerationem, cum aliis no-  
tissima illa sint, lubens jam omitto.

§. XXIII.

Cum etiam tandem non raro contingat, ut feminae malum hoc ab in-  
fio negligant, & Medici consilium atque auxilium non tempeſtively ſatis ſibi  
expetant, vel etiam laxitas, aut ruptura ligamentorum tanta ſit, ut ſufficienter  
emendari, aut qualiscunq; consolidatio obtineri haud queat, tunc cura-  
tio tantum palliativa locum habet; quæ ope artificialium quorundam reti-  
naculorum, seu instrumentorum, vaginæ uteri intrudendorum, novamque  
uteri procidentiam impediunt, ſuſcipitur. Commendantur hunc in ſinem  
varii generis peſſaria, ex filis lineis convolutis parata & cera largiter obdu-  
cta, figuramque rotundam, ovalem, triangularem, aut cordis depreſſi exhibentia,  
modo perforata, modo etiam imperforata, quibus tamen omnibus  
merito præferendos eſſe exiſtimamus circulos eburneos, aut ex radice Vitis  
ſylveſtris confectos, in medio perforatos, & cera alba incruſtatos, quoniam  
non ſolum leviores ſunt cæteris retinaculis, ſed & urinæ ac menſibus liberum  
concedunt tranſitum. Monendæ tamen ſunt foemellæ, ut ante adplicationem  
illos oleo quodam lubricante tepido inungant, & absque magna violentia  
immittant, ſilum craſſum firmumque cera obductum adligent, huiusque ope  
illos quandoque eximant & à ſordibus repurgent. De reliquo, cum ſub motu  
& concuſſione abdominis ex tuſſi facile hæc & alia huius generis instrumenta  
excutiantur, hinc pro evitando hoc incommodo, in ejuſmodi caſu vel instru-  
mentum illud à Celeberr. Dn. Prof. KNIPHOFIO in *AG. Nat. Cur. Volum. VI.*  
*Obſ. 17.* deſcriptum & commendatum, vel etiam illud à Doctiſſ. GOELICKIO  
in *Diſſ. de artificio novo reſtituendi procidentiam uteri veram*, laudatum & de-  
lineatum, quod figuram conii detruncati habet, & ex meris circulis ferreis,  
mediocriter craſſis, conſtructum eſt, ac virtute veluti elatiſtica  
gaudet, optime ſubſtitui, magnoque cum levamine talium  
ægroantium adplicari poterit.

T A N T U M.

S. D. G.

Pag. 11. lin. 1. poſt vocabulum *majusculam* addatur: *ſix capit.*




01 A 6602

ULB Halle  
002 932 512

3









DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,

DE

PROCIDENTIA  
VTERI,

QVAM

CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS,

SVB PRÆSIDIO

DN. D. ANDREAE ELIAE  
BÜCHNERI,

SAC. CÆS. MAJEST. CONSILIAR. ARCHIAT. ET COMIT. PALAT. S. R. I. NOBILIS,  
ACAD. IMPERIAL. NAT. CVRIOSOR, PRÆSID. CHTM. PROF. PVBL. ET FACVLT.  
MED. ADSESS. ORDINAR. NEC NON REG. BEROLIN. SOCIET.  
SCIENT. SODALIS,

PATRONI ET PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSIQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS  
ET IMMVNITATIBVS

LEGITIME IMPETRANDIS,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SVBMITTIT

JOH. CHRISTOPH. STVRMIVS,  
NORIMBERGENSIS.

HORIS CONSVETIS IN AVDITORIO MAJORI  
COLLEGII MAJORIS  
DIE IV. APRILIS, M DCC XLIV.

ERFORDIÆ, Typis HERING II, Acad. Typogr.

